

Quomodo peccatorum vulnera nunquam nobis defunt, sic & confessionis medicamenta deesse non debent.

*ita-  
em cha-  
ritatis.* XIV. Eadem crucis Christi meditatio per imitationem charitatis nobis salutaris redditur potius, quam per signi crucis formationem. Quoties cunque enim cogitatio crucifixi mentem nostram subit, immensæ charitatis Dei memores, ad charitatem mutuam incitamus, dilecti, si Deus nos ita dilexit, & nos debemus alii alios diligere, 1. Joh. IV. 11. in quam sententiam præclare D. Chrysostomus *Serm. V. de incomprehensibili Dei natura.* Διὸ περ ἐκ ἀπὸ τῶν σημείων, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἀγάπης γνωρίζεσθαι φησι τὰς αὐτῆ μαθητὰς ὁ Χριστός. Propterea non à signis, sed à charitate cognosci dicit suos discipulos Christus. Quam proximo charitatem exeramus oportet in condonandis mutuis offensionibus quod est illud *περιπατεῖν ἐν ἀγάπῃ καθὼς καὶ ὁ Χριστός ἠγόπησεν ἡμᾶς.* Eph. V. 2. In præstandis mutuis opitulationibus, in nostris necessitatibus, quo ostendimus, nos esse *μέλη τῆ σῶματος αὐτῆ, membra corporis ipsius, ex carne ipsius & ex ossibus ipsius.* Supplendis denique officiis charitatis in omnibus occasionibus.

*Per mortificationem  
carnis.* XV. Habet & id efficaciam Crux Christi, ut quò profundius in nobis per fidem radicata est ejus recordatio, tantò magis conducat crucifigendis concupiscentiis nostris, πάντοτε τὴν νέκρωσιν τῆ κρείττῃ Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι περιφέροντες, Ubivis & semper mortificationem Domini Jesu in corpore nostro circumferentes, ut etiam vita illa Jesu in corpore nostro manifesta fiat, quam summam cum Paulo καύχησιν fideles ducunt. Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Extinguamus Christum crucifixum intuentes concupiscentiam, occidamus excandescentiam tollamus invidiam. Id est victima viva: non incinerem hæc victima resolvitur, neque in fenum evanescit, neque lignis eget & igne, & gladio: habet enim ignem & gladium, spiritum Sanctum.

*Per celebrationem  
Dei* XVI. Quum denique gloria Dei omnium operum nostrorum scopus esse debeat, nihil est quod ad celebrandum in vita universa Deum Patrem Filium & Spiritum S. magis invitet cruce Christi, quid enim rependamus Domino pro beneficio tanto? Caligem multifaræ salutis accipientes, celebremus nomen Jehovah. O quantum sumus debitores Domino nostro, tanto redempti precio, tanto salvati dono, & tam glorioso adjuncti beneficio: Per ipsum summum Sacerdotem, & verum Pontificem & bonum Pastorem, qui pro nobis non aspernatus est crucem, assiduè ἀναφέρωμεν, sursum tollamus sacrificium laudis, i. e. fructum labiorum, celebrantium nomen ejus, in qua cruce celebratio nominis divini in futura vita constabit, quum numerus innumerabilium coram throno stantium voce magna dicet. Dignus est agnus ille mactatus, qui accipiat potestatem, & divitias, & sapientiam, & vires & honorem, & gloriam, & benedictionem in secula seculorum. Amen.

FINIS.

Coll. diss. A. 737, misc. 52.b